



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 165. Concordata Nicoli V. Papæ cum Germanis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Vindocinensem castra posuit, ut obsiden-
 tes protegere posset. Jamque obsidio-
 nis violentia incolas in extremum di-
 scrimen adduxerat, nec iis de urbis de-
 ditione cum Gallis aliter transigere lice-
 bat, quam ut non modo Cenomanum,
 sed insuper Maduanam urbem, & arcem
 cum aliis quibusdam locis Victoribus re-
 stituerent. Hisce pactis utrinque adim-
 pletis, inducias resumebant.

§. CLXV.

*Concordata Nicolai Papæ cum
 Germanis.*

Cum Germani neutri Papæ adhærendi
 propositum omnino ejurarent, seque
 Nicolai V. tanquam unici, atque legiti-
 mi Pontificis obsequio devoverent, idem
 Papa Joannem de Carvajalis Natione
 Hispanum in Germaniam Legatum de-
 crevit, qui hancce Provinciam longa Neu-
 tralitate, ut vocant, dissipatam compo-
 neret, & Nationis germanicæ onera au-
 diret. Re ab hoc Cardinale cum Fride-
 rico Imperatore ac Principibus, tam Ec-
 clesiasticis quam sæcularibus mature tra-
 ctata, conventum demum est in quædam
 capita, quæ concordata dicuntur, & Ni-
 colai diplomate Calendis Aprilis dato
 rati habita fuere; His imprimis summus
 Pontifex Ecclesias quascunque majores,

Sæcul. XV.
 A. C 1448.

An. 1448.

*Bullar. tom.
 3. Nicol. V.
 Constat. 1.*

Hist. Eccles. Tom. XXVIII. N &

Sæcul. XV.
A. C. 1448.

Cap. 16. Cu-
pientes de
elect. in 6.

& dignitates, ac beneficia omnia, & qualiacunque, sæcularia & regularia, electiva & collativa, vacantia in Curia Romana, necnon Cardinalium, omniumque Romanæ Ecclesiæ Officialium, ubique eos decedere contigerit, dispositioni suæ reservabat, in Metropolitanis tamen, & Cathedralibus Ecclesiis, ac monasteriis electiones Canonicas fieri concessit, quæ tamen postea ad Sedem Apostolicam intra tempus a Nicolao III. in Constitutione, quæ incipit. *Cupientes*, constitutum deferendæ essent, ut ab ea confirmarentur: de ceteris vero dignitatibus, & beneficiis quibuscunque (majores duntaxat dignitates Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum excipiebantur) jure ordinario provideri permisit, ita ut sex mensibus videlicet Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, atque Decembri libera omnino Ordinariis esset eorum collatio: in sex vero reliquis mensibus ejusmodi vacantia beneficia &c. ita ad Sedem Apostolicam pertinerent, ut tamen, nisi infra tres menses a die, quo beneficium vacare cœpit, innotescat ejusdem sacræ Sedis provisio, hæc ad ipsos Ordinarios devolveretur: Annatarum autem solutio de Cathedralibus & Abbatibus Viro- rum fieret secundum receptam Cameræ Apostolicæ taxationem: de ceteris vero beneficiis, quorum proventus valorem viginti

viginti quatuor florenorum aureorum Sæcul. XV
 non excederent, nihil solveretur, & a fa- A. C. 1448.
 cra Sede gratis omnino conferrentur.

§. CLXVI.

Bulla Nicolai Papæ ad omnes Fideles.

Nicolaus die decima octava Januarii Conc. gener.
 præcedentis (*) Bullam edidit ad Labbe tom.
 omnes Christi Fideles directam, in qua 13. p. 1323.
 hæc habet: *Cum superioribus temporibus*
propter divisiones subortas inter felicis re-
cordationis Eugenium Papam IV. Præde-
cessorem nostrum, & tunc Basileense Conci-
lium plurimum turbata, ac variis modis af-
fecta fuerit Ecclesia Dei: jam autem tra-
ctatu Oratorum carissimorum in Christo Fi-
liorum Francorum, Angliæ, & Renati Si-
ciliæ Regum, nec non Delphini, integræ pa-
cis & unionis consequendæ dispositio optima
videretur, Amadeo juri, quod in Papatu se
habere asserit, cedere volente, eis, qui olim
Basileæ, nunc autem Lausance, sub nomine
generalis Concilii permanserunt, & perma-
nent, concurrentibus in idipsum, aliisque ad
pacem Ecclesiæ laborantibus. Merito talia
de Amadeo effatus est Nicolaus, qui ad
 pacem

(*) Hæc epistola in actis Conciliorum data
 legitur anno 1449. quarto decimo Kalendas
 Julii.